


DE
SCYPHO JOSEPHI
DIVINATORIO,

Ex Gen. XLIV. 5.

DISSERTATIO THEOLOGICO-
EXEGETICA

M. AUGUSTI TITTELI,
hactenus Wermisdorp. Past.



TORGAVIÆ,
LITERIS PETERSELIANIS
M DCC XXV.

~~32~~

a. CXXII. 35.

Coll. diss. A
22, 35



33

Illustrissimo atque Excellentissimo
DOMINO
DOMINO JACOBO HENRICO
S. R. I.

Comiti de FLEMMING,

Potentissimi Sarmatarum REGIS & EL. Saxoniae
Magnae Lithuaniae Stabulario

Supremo Castrorum Duci, Ministro Status Consummatissi-
mo, Confiliario intimae ejusdemque duplicatae admissionis
Primario, nec non Confiliorum belli secretiorum
Praefidi

Ducatus ulterioris Pomeraniae & Principatus Cam-
minensis Mareschallo (f. duci aulico)
haereditario

Dynastae arcis & burgi Martentin & Boeck, nec non
Slavenzig, Schlatozevice, Woliczyn &c.

Ordinis Johannitici, Aquilae Albae, Elephantis
& S. Andreae Equiti &c.

Domino suo Gratiofissimo &c.

Illustrissime atque Excellentissime
Comes,

Gratiosissime Domine,

Cuinam ego potissimum *scyphum hunc Iosephi ar-*
genteum, novo opere fabricatum & velut re-
cusum, offerrem, *Illustrissime Comes*, quam TI-
BI, qui cum in eo *Iosepho* es similis, quod in admi-
nistrandis regnorum negotiis assidue versaris, Po-
tentissimoque Sarmatarum Regi primario adsistis
loco, tunc & quod in omni rerum affluentia, qua
TE

TE beavit Deus, sine dubio etiam scyphorum & vaforum elaboratissimi operis materiaeque pretiosissimae, magna TIBI suppetit copia. Doleo meum, quem devotissimo pectore offero, non artis, non operis, non ipsius denique materiae pretium ullum habere & male isthic collocari, ubi auri, argenti & gemmarum nobilis fulgor, intuentium praestringit oculos. Sed nec TIBI, *Illustrissime Comes*, illa unice cordi sunt: nec hic sua culpa adeo vilis apparet. Per istum immensi temporis situm, unde erutus est, quid ipsi poterat relinqui, nisi nudum scyphi nomen famaeque celebritas? Quem igitur inter Heröas seculi nostri haberem, cui eum consecrarem potius, quam TE, *Gratiosissime Domine*, qui nobili ortu Josephum certe vincis, *divinandi autem scientia*, qualem artes politicae desiderant, quam proxime ad illum accedis? Sic enim Imperatoris illius Graeci laus in TE absolvitur, *qui non solum de instantibus verissime (ut est apud Nepotem) judicabat, sed de futuris quoque callidissime conjiciebat.* Taceo rerum gestarum, taceo reliquarum scientiarum, quae in TE sunt, taceo humanitatis & clementiae, qua undique celebraris, gloriam. Ibit sane in omnem posteritatis & seculorum memoriam *tantum Nomen*, quod tractandis giganteae molis negotiis nec defatiscit, nec adeo extollitur, quin subinde literarios labores tenuissimos & respiciat clementer & pariter (quod stupendum!) subire dignetur. Nihil itaque tenui hoc & exiguo munusculo, *scypho meo*, aliud aucupari volui, quam occasionem publice precandi, ut TU, *Illustrissime Comes*, diu Regi, regnisque & patriae *Josephus* sis, eaque omnia strenue porro modereris,

איש אשר
כסך
Vir, qualis
tu?
Gen. 44.

quæ in Dei honorem, & publicam salutem verge-
re atque conducere possint. Ego vero devotissi-
ma jurans obsequia, precesque intaminatas & fan-
ctas, persevero

Illustrissime atque Excellentissime
Comes,

Gratiosissime Domine,

Tui

Submississimus

Cultor

M. Augustus Tittel.



§. 1.

Historia de fatis & rebus gestis Josephi Patriarchæ non solum varietatem continet jucundissimam, ut lectoris animus cruce & calamitatibus labefactatus divino solatio refocillari quasi possit & erigi: sed & singularem ingenii vim in Josepho nobis exhibet, qua tum in dirigendis regni negotiis, tum in excitanda acuendaque fratrum pœnitentia usus est. Si se statim illis cognoscendum dedisset, aculei conscientia, quos ipsi in mœrore sentiebant, oppressi aut certe hebetati mansissent. Cum vero severiorem minacioremque indueret vultum, nihilque initio fraterni spiraret, merito illi in se descendere, anteaactæ vitæ errores scrutari & cumprimis nequitiam in propria viscera h. e. fratrem exercitam & agnoscere & dolere cœperunt: אַבְרָם אֲשָׁמִים אַחֵינוּ אֲנַחְנוּ עָרִי — אַחֵינוּ. Sane culpabiles nos sumus super fratre nostro. Gen. 42. 21. הַאֱלֹהִים מָצְאוּ אֶת — עוֹן עַבְדֶּיךָ. Deus peccatum servorum Tuorum deprehendit. Genes. 45. 16. Sic exercebat eos Josephus miris modis, ut cogitarent quo digni essent supplicio, si Deus ad iudicii acrioris normam iis remuneraretur: sed & inter hæc, tempestatem undique consurgentem radiis velut quibusdam amœnioribus discutiebat rursus & propulsabat, ne penitus animum desponderent. Hinc illud argentum in sacculis redditum: hinc illa Josephi comitas in Beniamine excipi-

piendo

piendo & patris grandævi salute percipienda: hinc illa in convivio instituendo & celebrando Benignitas, non solum copia ferculorum largiter exuberans, sed & cuique suam sedem & ordinem, secundum ætatis principatum, distribuens. Quæ tamen ipsa lætitia rursus velut freno injecto constupuit, fratribus ab œconomo Josephi retractis & furti accusatis. Subornatus enim hicce œconomus scyphum Josephi argenteum Benjaminis sacco iucluserat, & postea fingebat, furto eum ab ipsis ablatum, non alio fine, quam ut summa Josephi potestas, qua pro luitu de iis statuere liceret, cognosceretur, & dum illi de tragico exitu trepidarent, scena aperiretur gaudii atque tripudii plenissima.

§. 2.

Quæritur autem potissimum *de scyphi istius qualitate* inter eruditos: siquidem ex verbis œconomi patet, eum non solum ex argento confectum fuisse, sed & Josepho ad quotidianum usum servisse, adeoque *Dominum suum* (quod caput harum meditationum erit) in eo *divinare* s. augurari. Audiamus Hebræa: למה שלמתם. *Cur reddidistis pro bono malum?* רעה תחרה טובה הלון. *Nonne istud est ex quo bibit dominus meus, & in quo divinando divinaturus est?* Sic ego quidem verba pro exigua linguæ illius notitia ex meo genio traducenda putavi. *Anglus ita exprimit:* Is not this ih, which my Lord drinketh? and whereby indeed he divineth? *Gallus:* N'est-ce pas la coupe, dans laquelle mon seigneur boit, & par laquelle très assurement il devinera? *Italus (Diodati)* Non è egli questa (la coppa) nella quale beve il mio Signore? nella quale suole indivinare & tentando vi tenta?

§. 3.

§. 3.

De hac divinatione Josephi per scyphum varia variorum extiterunt opiniones. Grotius existimavit, vocem שחן significatus medii fuisse, & modo ad superstitiones modo ad cerimonias licitas fuisse adhibitam. Josephum vero ad immissa divinitus præfagia & divinationes se sacrificio præparare solitum, ad quod phiala seu cratere opus fuisse. Probat id prolixius ex antiquitatibus gentium: sed minus commode ad rem præsentem. Calovius enim rectissime observat, de scypho sermonem esse, qui non ad præparationem per sacrificia, sed ad ipsa servierit auguria שחן. Ceterum in eo Grotius haud errat, quod verbum שחן pro media voce habet: de quo postea uberius.

in h. l.

Alii adhuc longius evagati sunt: & Josepho pio isti Numinis cultori, superstitiones ipsas attribuerunt gentiliū. Diodati in not. margin. super verba: Suole in divinare -- addit: *s. quo (scil. scypho) utitur in auguriis, seu propter quem jam consuluit vates, ut eo rursus potiatur, seu quo amisso putat malum quid portendi.* Quod ipsum (addit Diodati) crimine non vacat in Josepho, dum donum Prophetie isto inauspicato augurii nomine profanat. Cupperus, magnus polyhistor, ægre fert, tot Interpretes hoc sibi in mentem venire de Josepho passos. Quam plurimos enim existimasse, quoddam *hydromantie* genus in isto scypho exercitum fuisse, nempe ut simul atque aqua in illum profunderetur, statim in ea dæmon appareret & oracula sua ederet. Alios *Catoptromantici* quiddam sub eo quæsisse, nempe in fundo illius specillum extitisse, quod diabolus figuris & formis variis ostendisset. Sed hæc frivole & inerudite de Josepho dici, non solum ipse Cupperus arbitratur, sed & in sequentibus a nobis paulo luculentius demonstrabitur.

Si serve nelle divinationi, voco che per quello habbia domandato agli indovini - sotto il nome di augurio.

des Dogm. & des Cult. p. 38.

Ob eandem, puto, causam clementius alii de Josephi divinatione per scyphum senserunt. Merceri sententia

B

tia

cit. Calixt. in
not. ad Jo-
seph. histor.
p. 38. 39.

in h. l.

tia est: *Cum res tota simulate acta fuisset, Josephum quoque praefectum domus suae ita voluisse loqui, ut tali simulationi convenisset: cum forsitan & vulgus crederet Josephum, somnia interpretandi & predicendi futura cognitione excellentem, auguria more gentili captare.* Menochius non multum ab ea sententia abest, dicens: *Oeconomus non inquit, absolute Dominum suum auguriis vacare, sed ut id opinentur, loquendi ambiguitate occasionem praebet. Vel ita loquitur ex opinione vulgi, quod auguriorum scientiam Josepho tribuebat.* Alii excusant Josephum (ejusdem Menochii verba sunt) quod joco id dixerit & ad breve tempus ita fratres siverit opinari: vel etiam de suo hoc addidit dispensator, ut strophe sua colorem adderet & crimen exaggeraret. Sed nullam hic simulationem intercurrisse: dominoque & dispensatori eandem fuisse mentem docebitur, cum nostram sententiam, novam, quantum quidem adhuc scimus, & a nemine hactenus prolatam, sed, & si insciis nobis alii jam eadem sensissent, inventionis suae veræ & infucatae fructu tamen non fraudandam efferemus.

in libr. Radicum
vid. supra Dio-
dati

Onkelos: *inquirendo inquit pro eo: id est secundum Kimchi explicationem, augures diligentissime consulit, ut, quis abstulerit, indicent: cui adstipulatur Munsterus.* Kimchi addit: *Sunt qui interpretentur, ipsummet ejus gratia augurari h. e. existimare, amissionem scypbi malum omen secum gerere cum vas perierit, e quo bibere sit solitus.*

cit. Calixt. in
hist. Joseph.
p. 39.

Aben-Ezra vero ita exponit: *Tentat vos eo scypbo, ut cognoscat num fures sitis, allegat in eum finem usum vocis, quæ subinde idem valeat, ac explorare & experimentum alicujus rei capere, ut Gen. XXX. 16. ubi Laban ait וְנִרְמָהּ אֶתְּמָרָהּ אֲנִי אֶתְּמָרָהּ אֲנִי אֶתְּמָרָהּ exploratum habeo, expertus sum, Deum mihi per Te (Jacobum) benedicere & hoc ipso capite v. 15. ubi de perspicacia & explorandi acrimonia agatur.* Calixtus igitur duplicem in sensum Aben-Ezrae opinionem flectit, nempe quasi dicere velit: *Hoc scypbo tentat, explorat sive experimentum capit dominus meus num advena picatas habeant manus & furaces ungulas.*
Quem

Quem quidem sensum secuti sunt Calovius, Cupperus & alii. Interque hos Cupperus ita: Les interpretes se donnent bien de la peine a chercher quels enchantements on faisoit dans un gobelet pour connoitre les choses a venir. Il n'y faut point chercher de grands mystères. -- Le que Joseph vent dire à ses freres, c'est que par le vol, qu'ils arrient fait de son gobelet, il devinoit, c'est à dire, qu'il connoissoit, qu'ils estoient mal-honêtes gens. Addit Calixtus alterum sensum in quem valeant verba Aben-Ezræ, nempe talem: *Tentat & explorat per hunc scyphum quomodo in vino se gerant hospites & proinde quo animo ac indole sint*, prout Horatius alibi:

in h. l.

l. cit.

*Reges dicuntur multis urgere culullis
Et tentare mero, quem perspexisse laborent.*

Venuste in eam rem quadrat Hebræorum adagium, R. Eleazari attributum: *בְּכֵיס בְּכֹס בְּכַעַס* in loculo, poculo & ira cognosci hominis animum.

§. 4.

Sed ut in his opinionibus refutandis brevissimis versemur, & ascendendo desinamus, ubi cœpimus, uterque sensus verborum Aben-Ezræ non satis mihi congruus videtur. Abblanditur equidem ultimus ille *de more regum* potu obruentium, quos cupiunt expiscari. Sed 1) non erant ulla mysteria, quæ elicere poterat Josephus e fratribus fictè tantum pro exploratoribus habitis. 2) pietas Josephi non videtur pati, ut statuamus eum strenuo potationis exercitio usum ad obruendos alios. Si ille mos jam tum viguit, Josephum tamen, meliori religione & moribus a juventute imbutum, ab eo abhorruisse, plane persuasum nobis habemus. Nec iste sensus, quod per hoc poculum probare voluerit

B 2

fratres

fratres vel alios etiam hospites probaverit Josephus, magnopere mihi probandus videtur. 1) enim ex iis, qui mensæ Josephi adhibiti fuerunt, hospitibus honestissimis, quales fere ejusmodi Ministri principes adhibere solent, nemo tam perfrixtæ frontis facile futurus fuit, qui se ejusmodi furto contaminare vellet. Et 2) si sensus ad solos fratres transferatur, œconomus Josephi innuere videretur fratribus, ac si præscitu Josephi hæc omnia facta essent, qui eos permisisset ita furari, ut deinceps in ipso facinore deprehenderentur. Quæ tamen neque Oeconomo neque Josepho mens fuit, utpote qui fingunt, præter omnem ipsorum opinionem, post tot beneficia exhibita, hoc eos patrafse maleficii & eo magis se habere, de quo objurgare illos & criminari possit. Addo quod in Ebr. textu nullibi vocula **VOS EXPLORAT** reperiatur, sed potius nude tantum dicitur: *dominum bibere ex scypho & divinare s. explorare.*

Vulgi opinionem fuisse, Josephum superstitionibus & cerimoniis deditum esse, & per eas scientiam interpretandi somnia tenere, non satis probate dicitur. Credibile potius est, ea in vulgus manasse, quæ coram Pharaone edisseruerat vinculis liberatus, se nulla humana via aut opere illam scientiam impetrare, sed potius, pro diversis casibus & monitis, quæ incidant, divino lumine ex alto collustrari. Qui poterat vulgus ignorare, Josephum a ritibus Ægyptiorum plane diversam & seiunctam agere vitam, cum illud ex omnibus ejus actibus, quorum mox commemoratio aliqua fiet, eluceret?

Onkelofi:

Si ulla mihi ex adductis opinio seligenda foret & probanda, eam potissimum probarem, quæ verbum **וַיִּשְׁאֵל** ab **INQUIRENDO** deducit. Et quanquam nihil minus credam, quam quod Josephus consuluerit vates: res ipsa tamen docet, Josephum, isti scypho assuetum, simul ac deperditum cognovit, scrutandi & inquirendi finem haud antea facturum fuisse, donec eum ex raptorum manibus

nibus

nibus rursus extorserit & recuperaverit. Quod ipsi tanto minus difficultatum præbere potuit, quanto in majori constitutus erat dignitate, omniaque in promptu habebat, quæ ad indagandum & detegendum ejusmodi fur- tum facere ullo modo poterant.

Ast vero eidem optumo & præstantissimo Viro *divi- natorias præstigias & superstitiones* affingere velle, adeo in- fultum est, ut nihil esse possit insulsius. Quomodo lux concordat cum tenebris? & quomodo cultus veri Dei, quem Josephus totius in ore gerebat, cum vesanis artibus satanæ & præstigiis?

§. 5.

Vindicandus igitur nobis est Josephus ab hac sus- picione quantum ejus fieri potest diligentissime. Et huc facient argumenta quædam, non inepte uti speramus, cumulata. 1) quidem expressis verbis coram Pharaone confitetur, se vaticinandi scientiam a nemine alio tene- re, quam *a summo Deo*. 2) legimus, eum, cum secum fratres deduxerit ad prandium, curasse, ut *sibi soli, fra- tribus solis, & Ægyptiis solis* & segregatis instruerentur da- pes. Ex hoc quidem (si ad ipsa textus verba respicias Genes. 43. v. 32.) liquido apparet, Josephum, quamvis ha- bitarit in Ægypto, Ægyptiacos tamen mores & instituta, cum primis autem superstitiones magicas, constantissime averfatum & Hebræorum religionem sectatum esse: alias enim nullum est dubium, Ægyptios illos, qui familiam Josephi constituebant, eadem cum ipso mensa & dapibus usus fuisse: ni forte singularem pompam, quæ in aulis principum subinde regnat, ut honoris causa soli vescantur, fingere velis, cui tamen repugnat ratio in ipso s. Codice l. allegat. expressa. 3) vel illud argumento fit, Jose- phum

nempe quod
Ægyptiis non
liceat vesci
cum Hebræis.

phum peculiaribus institutis & vitæ genere usum, quod non vereatur de suis dicere posteaquam adventassent: *eos pecoribus pascendis & alendis assuetos*: cum tamen hoc ipsum non solum humilitatem generis, unde ortus esset, significaret, sed & Ægyptiis odiosum esset, quippe qui nihil magis averfarentur, quam homines pecoribus deditos. Quod tamen *non* intelligendum *de equis*, quorum Ægyptii amatores, vel *de ovibus*; nam & horum animalium greges habebant (hinc Pharao Josepho mandat, ut si forte inter fratres sint, qui horum curam gerere possint וְיִתְּנוּ לָהֶם מִבְּרֵיתִי מִבְּרֵיתִי *capable deute*, tales iis præficeret Genes. 46. 32. vid. & 47. 6.) Sed tantum *de boum genere*, quod ipsis adeo sacrum erat, ut nullum eorum lædere nedum mactare auderent. Quapropter etiam Israëlitæ sacrificaturi hoc prætextu, quod in desertum abeundum illis & ibi sacrificandum esset, utebantur, ne victimas mactantes ante oculos Ægyptiorum, odio ipsis & offensionem essent. Dum igitur Josephus instigat fratres, ut se pastores fateantur, satis utique declarat, nec se nec fratres apud Ægyptios ad religionis mutationem adstringi, sed cultum veri Dei a patribus traditum retinere posse, nullibi tamen commodius, quam in regione Gosen, ubi quo viverent separatiores, eo minus inficerentur. 4) Jacobus pater sibi studiose a filio pactus erat, ut se in regione Canaan *apud majores suos sepeliret*: Dum igitur & Josephus & tota fere Pharaonis aula funus istud curant atque prosequuntur, quilibet evidentissime cognoscit, Regem & ipsius Ministros Ebræis liberum religionis exercitium non solum permisisse, sed & optime de eo sensisse. Ne vero quisquam putet Josephum forte tandem in ista terra, quæ eum hæcenus evexisset ad summum, a patriis ritibus descivisse ad alios supersticiosos, ultimum ejus mandatum, quod Israëlitis reliquit, literis consignatum est sacris. 5) Illud vero in primis cavit, ne si Deus educat populum suum, *ossa sua relinquatur*. Sic parens & filius infucatam suam pietatem &

&

& fidem in Christum, qui Canaanis terræ reservatus erat, documento plane insigni voluerunt testari. 6) Cum quo congruit illud Psalmi 105. v. 22. *quod Josephus fide sua & institutis etiam, jussu Regis, aulam & qui Regi subditi erant, erudit.* Sicut enim fax quædam late fulgorem suum emittit & lumine suo alios illustrat: ita non potest pectus pii aliqujus & fidelis viri igne divini amoris repletum esse, quin etiam collustret alios, quantum in se est, eosque docendo & cohortando efficere studeat sui similes h. e. bonos.

Ex his in unum coacervatis effici videtur:

Quicumque Deum verum semper in ore habet: peculiare vitæ genus sectatur & profitetur: in eoque a nemine impeditur, sed potius approbatur: denique & alios in eadem religione vera erudiendi copiam habet: Is nullo modo credi debet superstitiones Deo adversas vel præstigias magicas coluisse.

A. E.

§. 6.

Restat ut & nos (posteaquam aliorum opiniones displicuisse significavimus) de nostro promamus, quæ loco huic veram affundere lucem & interpretationem videantur.

Moneo igitur in antecessum 1) me vocabulum שׂוֹמֵר Grotiano significatu, quem pro medio haberi cupit, sumere, & quantum ego quidem pro tenuitate mea in Hebræis perspicio, ita efferre, ut שׂוֹמֵר vi originis nil aliud sit, quam: EX SIGNIS VEL CIRCUMSTANTIIS ARGUMENTARI: qui deinceps significatus degenerare potuit & transire ad

ad

ad *auguria*, quod ea ex definitis signis hariolorum efficiantur & colligantur. Hoc tamen non impedit, quo minus istud vocabulum in aliis occasionibus & circumstantiis nativam indolem tueatur, atque idem significet ac: *argumentari, experiri, perspicere, conjectare*, sic 1. Reg. 20. 33. Benhadadis legati, posteaquam Rex Israël eum adhuc fratrem suum compellasset, statim (non divinabant, quod est alienius, & meditationem valde operosam requirit) sed *argumentabantur, perspiciebant, colligebant*, rem esse in salvo, quod adhuc Benhadad pro fratre agnosceretur וַיִּשְׁמַע־כִּי־כִּי־יָצֵא־יֹסֵף־מִן־מִצְרָיִם sic & Laban Gen. 33 perspiciebat, Deum cum Jacobo esse. 2) notari velim, non de nihilo esse, quod *œconomus talis scyphi* mentionem faciat, *ex quo herus suus bibere soleat, argentei videlicet*. Cum enim Ægypti regnum ab antiquis inde temporibus opibus, potentia & copiis floruerit: præterea quoque Josephus summus Ægypti gubernator & princeps adeo minister constitutus fuerit, de cujus proinde famulatio & aula nullum est dubium, quin fuerit splendidissimum, legimus enim (quod mirum!) *de medicis, curando & observando corpori ipsius unice constitutis*, nec de uno sed multis וְיָרֵךְ־לְךָ־אֶת־הַיָּמִים וְיִשְׁמַע־כִּי־יָצֵא־יֹסֵף־מִן־מִצְרָיִם Gen. L. 1. nec non *de universa domo ejus*, quæ funus Jacobi comitabatur cum domo Pharaonis & senioribus totius regni, qui jam præcesserant ibid. v. 7. 8. Cum igitur, inquam, Josephus, in ista magnificentia & culmine honoris consisteret, nemo tam vecors erit, qui putet Josepho non innumera vasa aurea argentea & aliam suppellectilem pretiosissimam fuisse. Sed *œconomus jam tantum vulgaris cujusdam scyphi, quotidiano usui servientis*, meminit, eo quod exprobrare fratribus vellet, quam insipienter & stolide fecissent, surripiendo rem, cujus absentia non poterat non statim, propter quotidianum & frequentem usum, animadverti. Accedebat, quod Josephus, tot tractandis imperii negotiis subactus, tot examinandis judicandisque litibus intentus, tot subtilissimarum technarum, quas subinde fraus hominum neciteret, arbi-
ter

ter & prudentissimus & felicissimus, non posset non furti hujus indolem momento quasi conijcere & penetrare. Hinc & ipse fratres ad se reductos alloquitur: **הלווא ידעתם** *An nescitis, quod vir talis, qualis ego, illud facile divinaturus, coniecturus sit?* Sic nempe DIVINARE latius (non vero strictius prout ad auguria vertitur) etiam in sermone Latino optime hic usurpari poterit. Vult igitur œconomus dicere: *Cur illud surripuistis, ex quo bibere solet dominus, & in quo non poterat non dominus meus divinare s. conijcere, quis & quando surripuerit?* Notum quippe est, repetitionem verborum (qualis **נחש נחש**) interdum certitudinem: interdum diligentiam & actum continuum: interdum frequentiam &c. notare. **Es muste es also der Herr mercken, es konte gar nicht anders seyn.**

XLIV. 15.

§. 7.

Fingas igitur œconomum vel Herum ipsum ita fratres increpantem: *Qua vos, o mei, dementia cepit? quis iste ardor in vetitum? Pransi mecum estis & laute vobis omnia apparatus fuerunt. Tam gratiosus vobis fui, quam quisquam mortalium: Et vos in hac ipsa gratia abundantia nequissimum facinus suscipitis, nempe ut furto contaminetis manus. Nec istud quidem satis caute & solerter. Vulgare & quotidianum est istud poculum, non ex auro, cujusmodi penes me asservantur adhuc multa, sed ex argento. Nec tamen hac vilis, aequae vilis & contempta fuit: rapaces intenditis manus, poculumque aufertis. Quis vero inter hæc vobis animus, qua mens fuit ad talia audendum & occulendum? Si aliud quoddam vas argenteum, cui ego minus adsuper forem, quod non aequae semper ante oculos haberem, & quod rarius labiis admoventur, surripuissetis, tuti forsitan esse potuissetis paulo diutius & fraus tactior. Ast illud poculum, quod est quotidiani usus mei, de quo servi sollicite cavent, ne pereat vel ignoretur, suffurari, hoc non est eorum, qui integris sensibus gaudent.* **VIX**

C

HODIE

HODIE EXIERATIS URBE, cum servi de extergendis & ad prandium instruendis vasis cogitantes, poculum meum abesse sentiunt. Rem ad me solliciti deferunt. Et quid ego? an nesciebam, quo tempore adhuc ex eo biberim, quæ persona beri ad fuerint, quæ facies rerum extiterint? Nempe hic operosa divinatione & conjiciendi arte opus erat? Præterea VIRUM, QUI NON SOLUM natura & experientia factus est ad investigandas res occultissimas, vel etiam dono Dei peculiari gaudet, & cui fere abstrusissima quæque uno momento patent, hunc scilicet Vos furto vestro decipere tentastis! & QUIDEM IN RE, quæ statim obvia est vel hebetissimis sensibus, quæ omnibus & singulis momentis, propter usum, desideratur, quæque, si fuerit absens, non potest non statim materiam divinandi & conjiciendi præbere paratissimam! POCULUM E QUO BIBIT DOMINUS, ET IN QUO CERTISSIME (quid factum sit) ANIMADVERTET VEL DIVINABIT!

§. 8.

Sic prodigium istud SCYPHI DIVINATORII aliquando tandem desinet & ego vix arbitror quenquam fore, qui huic interpretationi, ad genium linguæ Ebr. exactissime accommodatæ, & nativum historiæ sensum exprimenti, contradicere velit. Si quis tamen impotenti quodam pruritu & tantum lubidine ad contradicendum perductus fuerit, quamvis nulla argumentorum copia in promptu sit solidorum nempe & quæ speciem veritatis habeant is sciat, me tempus non litigando, sed inveniendi, vel explicandis rebus devovisse. Deus autem opt. max. nos semper ita spiritu suo regat, ut quam fere semper sagacitatem in terrenis adhibemus, eam multo & diligentius & salutaris in spiritualibus quoque adhibeamus, per Christum. Amen.

Dissertatio mea prælo jam subjecta erat, cum observa-
 tiones *Celeb. Starckii* eruditæ in Genes. ab amico me-
 cum communicarentur, in quibus perspexi p. 60. ci-
 tatam *Andr. Schmidii* mentem haud multum abs mea differ-
 re. Sed hoc tamen non effecit, ut me scripti mei editi
 preniteret 1) quod brevissimis omnia complexus sim, jam
 quasi animo mihi prælagente, me non in isthoc meditatio-
 num genere primum fore. 2) quod ratio, quam Schmie-
 dius affert, cur consilia fratrum Josephi tecta non potue-
 rint manere, verissima quidem sit, nempe *Josephi scientia*
humana pariter & divina: mea tamen ratio, quam toti differ-
 tationi fundamenti loco substerno, longe se porrigat latius,
 nempe ad quemvis alium hominem vel modica judicandi
 facultate præditum, qui ex iis quæ sunt quotidiani usus, defi-
 cientibus multo possit facilius celeriusque furtum depre-
 hendere, quam ex aliis rebus minus crebro usurpatis. Si
 igitur quivis alius id possit, quanto magis Josephus, divina
 humanaque scientia ad stuporem usque excultus? Huc
 certe æconomi sententia tendit, qui non frustra in urgendo
 usu istius scyphi (*ex quo bibit dominus*) commoratur, adeo-
 que ostendit ex hoc capite vel maxime eorum impruden-
 tiam argui, qui talem auferre & furari ausi sint. *Istud bi-
 bere* autem non erat rarum, sicut in reliquis scyphis, sed
 quotidianum, quod & ex v. 2. apparet, ubi Josephus Ebr.
 eum *scyphum suum, scyphum argenteum* dicit: *Den*
Tisch-Becher. Hæc lectorem benev.
 latere nolui.



Coll. diss. A. 122, misc. 35